alegado en diferentes pleitos, lo atesoraba, hace un siglo, el archivo general de las ocho villas, sito en Villavelayo. **Fiat lux!**

Madrid, 12 de Febrero de 1909.

FIDEL FITA.

IV

ESTUDIOS DE CÓDICES VISIGODOS

Códice a. II. 9. de la Biblioteca del Escorial.

(Continuación.)

MATER DIXIT:

Innepta garrulitatis tue facundia subterfugis, studes certamen disputationes, euitaret utique secumdum apostoli petri sententiam dicentis: Parati semper ad responsionem omni poscenti uos rationem. Inquirenti responsum reddere debuisti; et postero ordine ouicere questionem. Legibus sanccitum est christianis conjungia celebranda filios nutriendos; uirginitatis jura, nusquam penitus inperata.

Cui sic UIRGO CHRISTI AFFATUR:

Si sanctorum motus conatuum domini uoluntati subdamus, et intentionis studia ad ueritaten que christus est, contemtione deposita conferamus, ipsa ueritas in propatulo sese offerens salutaris itineris callem pie querentibus ostentauit. Nouit enim secundum nostri propositi, qualitatem se ipsam preuere. Nam cum rectis recte graditur; cum tortuosis peruerse nolle sentire quod rectum est; transgressionis est uitium, et hoc est stultis laboribus fatigari. Recta ayt profeta, judicate filii hominum. Ne quando ad te prouerbii dirigatur sententia prophetalis, mendaces filii hominum in stateris ut decipiant ipsi de uanitate. In unam sine dubio deceptionem molitur quisquis, quod sibi prodeest, et non quod proximis argumentatur. Justissimus censor libram mediam ad apreendens; utramque lanee equo libramine moderatur. Sic mici nuptias insuggillationem pretendis, quasi ego cum ereticis damnaberim foedera nuptiarum? Absit a me sic propria defensare;

ut diripiam aliena. Non est bonum satietatem nostram, de esurie alterius procurare. Uera est sapientissimi sententia salomonis: Qui hedificabit domum suam inpensiis alienis; dimittit filiis dolorem. Nicil sine duuio differt domum super arene mobilis labili cespite conlocare; aut supra petram inpensiis alienis instruere. Cum ibi sit absque ullo fundamento ruina; hic de inuasione damnatio. Si enim in nostro prejudicio non possumus alios adjubare; saltim non deuemus eos suis utilitatibus desolare; quia anusquisque in suo ordine secumdum apostolum et prophetam proximum non artauit. Oportuerat namque terram bonam non simplicis fructum; sed tripertiti habundantiam germinare. Deceuat enim pacificum nostrum, qui per sui sanguinis sacramentum pacificabit que in celis et que in terra sunt, non unimoda; sed triplicia sortiri conjugia. De quo scriptum est: Qui appendit tribus digitis terram, id est omne hominum genus, tribus professionibus: Uirginitatem uidelicet, continentiam, et conjugiis ordinabit. Nam et illa mulier as tres mensuras absconderat in farina; donec plenitudinis conpago diuinitatis cresceret incremento. Conueniens erat regem nostrum sui exercitus legionem, diuersa acie congregare. Conpetens erat imperatorem nostrum; sui aulam palatii, pluribus dignitatibus decorare. Quia diuersitas dignitatum diminutionem non prestat regalis glorie, sed honorem. Non sufficit esse deum abraam; sed et ysaac, et jacob. Nam et jhoannes ayt: Tres sunt qui testimonium peribent: Spiritus, et aqua, et sanguis, et hii tres, unum sunt. Id est uirginitas, que domino aderendo, unus cum eo efficitur spiritus. Uiduitas que dum sementem non suscipit, non terram; sed aqua dicenda est. Et nuptie que propter progeniem filiorum sanguis merito conprobantur. Et hii omnes gradus, unum sunt. Non propter conuenientia meritorum, sed propter corporis unitatem. Unde scriptum est: Omnes uos unum estis in christo jhesu. Unum sunt omnes, quia unus pater genuit nos. Diuersa sunt merita premiorum, quia in domo patris mansiones multe sunt. Unum sunt omnes, quia unum sunt corpus. Inequalis est dignitas redemtorum, quia membra plura sunt diuersa. Unum sunt omnes, quia in unum sumus positi firmamento. Diuersa est gloria credentium; quia stella ab stella differt in gloria.

Fateor, et cum toto mundo adsentior; qui legem christi censetur honorauiliter nuptias, et thorum inmaculatum. Sed sicut ego ultro confessa sum hoc nec negaui: ita et tu non abnuas quod idem apostolus supra dixit: Qui non dat nubtu; melius facit. Qui uero uirginitatem non recapitulatam in lege causaris; pacis interroganti responde. Legimus non dicam in nobo, quam in ueteri testamento nostre professionis conplures principes extetisse; quorum nominum seriem propter fastidium morarum; quod ipsa primitus uetuisti, recensendam tibi potius dereliqui. Isti igitur sancti, reprobandi sunt, aut sequendi. Reprobandi, si temeraria presumtione inlicitam professi sunt castitatem. Sequendi si eligentes obtimam portionem secundum prophetam super dei laudibus adjecerant. Quicquid unum dixeris e duobus tuis edicta sermonibus, nobis uictoriam conparabis. At illa ne quam tantis testibus emollita; controuersiam preparans duriorem he prorupit in uerba.

MATER:

QUAMUIS EA QUE PAULO APERTIUS reserasti, nicil luculentius putauerint; tamen ea que dictura sunt non negabis secundum prosecutionis tue ueridica documenta. Nobimus totius propositi uiros nobiles extetisse; tamen uirginibus mariti domini uocibus proferuntur. Nam ipsi primatibus sublimati, principes uirginum extiterunt.

(Al margen:) de patriarcis uel prophetis conjugatis.

Denique abraam in tantum familiaritate perfunctus est dei; ut amicus illius predicetur. *Job*, diuino testimonio omnibus mortalibus antefertur. *Moyses*, equo modo; magnificentior, pre ceteris, inuenitur. *Dauid*, uir dicitur a deo reppertus, secundum cor ejus; qui omnen illius fecerit uolumtatem. *Denique jacob*, *moyses*, *esayas*, *atque miceas* mulieribus copulati, uiderunt deum; quem jheremias uirgo non potuit contemplari. Nam jacob, sic ayt: Vidi dominum faciem ad faciem. De moyse dicitur: Palam, non per enigmata et figuras dominum uidet. Esayas ayt: Uidi dominum sabahot, sedentem; necnon miceas paria uerba similibus contestatur.

(Al margen:) de sancto petro.

AD NOBUM UENIAM INSTRUMENTUM.

Petrus, ceteris apostolis pretermissis, beatus a domino conpellatur, et princeps apostolis ordinatur. Ecclesia super ipsum fundatur, ipsi clabes regni celorum traduntur. Ipse tam pro christo quam pro se persoluit tributum. *(Añadido al margen:* perpetua et felicitatis, filias beati petri apostoli.) Ipse cum domino equoreos campos pedibus ambulait; et liquidioris helementi, pontum fluidum, corporea grauitate sulcauit. Ipse pascende oues christi; et agniculi conmendantur. Ipsi dominus mortis imperiis subjugatis, ante omnes apparuit triumphator. Ubi nunc tui uirgines; quando tante adepti priuilegio claritatis singularis tituli fulti sunt dignitate.

(Al margen:) Ubi uirgo perexterrita a deo suffragia postulauit.

In cujus prosecutionis nimietate puella parum perexterrita sponsi auxilium subplicauit; ut portis ereis contritis, uectibusque durissime questionis thesauros responsionis absconsos, et arcana explanationum proderet secretarum. Quibus manifestius reuelatis oppositionis profunde nubila fugarentur. Refectis igitur paululum uiribus frementes turbinum impetus temnens tali uerborum cuneo aduerse partis agmina debellatur.

Uirgo dixit:

Ad hoc inquid tecum multiplices glomeras acies caterbarum, ut difficillime prelii terroribus intentatis pars nostra uel tremefacta fugiat; uel sauciata subcumbat. Sed noueris frequentius contigisse quanto bellum terribile densabatur; tanto uictoriam prestitam triunphantibus nominatam; nec nos usque adeo tuarum questionum impetus; territabit exemplo: ueterum informata, qui paruissimo militum numero falanges hostium innumeras trucidarunt. Conta jhosue quanti coegerunt reges quam numero plurires, quam uiribus fortiores, quam truculentia ferociores; qui tamen funditus intemti; srahelitico populo; ingentia cessere uix illa.

(Al margen:) de jedeon.

CONTRA GEDEON, NONNE ET LOCUSTE dimicantium confluxerat multitudo, qui sine labore cedentium obtima quondam captiuis spolia profuerunt.

(Al margen:) de asam eziopum.

Diligentius contemplare asam eziyopem, turmis flamantibus co-

ruscantem. Qui decies centena milium ballatus exercitum, unius ase precibus occubuit, cum totis agminibus interemtus. Scito quod non consistat in multitudine fortitudo; neque in exercitibus faretris; sed in adjutorio domini, manubie tribuantur. Quod lectione diuina confirmas, conjungia sortientes gloriosiores magis extitisse quam uirgines: si intentissime ut exigit uis questionis abscultes, ipsa ultro fatebaris, quum probabero uirginitatem conjungio preponendam. Si ideo preferas abraam uirginibus, quod amicus domini appellatur; disci dici omnibus christianis: Quum feceritis omnia que precipio uobis; jam non dicam uos seruos sed amicos. Quod tu magnum existimas: hoc jude dicitur proditori: Amice, a quod uenisti? Quid mirum si job illo tempore, nullus sit equatus; quando carnalis populus nec dum ad robur peruenerat perfectorum? Unde eo tempore jhoannem nostrum nullum habuisse majorem; quando uerbo otioso damnatio conminatur, quando angelos imitari, etiam publicanis facile uidebatur; quando gentilium fides, srahelites antefertur. Sed quod de job dictum est, auertamus; non enim est ei similis quisquam in terris. Quid mirum si nullum habuit partem in terris; quando nec dum ad fidem ueram, conuerse fuerant terre? Qui job licet major esset habitantibus terram; aduc tamen manebat in terra. Audi quid dicitur nobis: Jam non estis in carne; et non estis de mundo; et nostra conuersatio in celis est. (*Al margen:* de job, et jhoanne babtista.) Qua ratione job, jhoanne extimas meliorem. Dic, quis umquam in natiuitate gauisus est job? Quando nec ipse in sua natiuitate letatur? Et si job prophetam audeas nominare; jhoannes propheta amplior predicatur, et super hoc corona martyrii muneratur. Job aliorum mortibus cruciatur; jhoannes suo funere jucundatur. Ille alieno obitu tabescebat; hic mortem propriam contemnebat. Ille uulnera doluit; hec interitum non curauit. Ille capite tonso lugeuat; hic desecto uertice triumphabat. Ille in sterquilinio sedens orrebat; hic suo baptismate, alios emundabat. Ille pro filiis et amicis uobuum uictimas jugulabat; iste se ipsum uiban hostiam offerebat. Ille de una subjecta muliere; hic de erode ac duabus feminis potentibus triumphauit. Hic christi preco; hic uox clamantis in eremo; hic agnum dei demonstrat; hic christum babti-

zat, et babtismi proprii sortitur uocabulum; hic christi meritorum priuilegio estimatur. Et quid plura. Non solum propheta; sed et angelus appellatur.

(*Al margen:*) de moysen et paulo.

MOYSEN UIRGINIBUS SUPERPONIS. Ipse a gentili socero, consilium summit; quum paulus philosophorum peritiam repreendat. Illum obiat dominus occidendum; paulo dicitur a domino: Ego sum tecum, et nemo conabitur male facere tibi. Pro quibus orabit moyses; uix aliquis illorum terram repromissionis ingreditur. Pro quibus paulus exorat; regna celestia meruerunt. Ipsi etiam dicitur: Ecce donauit tibi deus omnes qui tecum nauigant. Moyses promisse terre tantum potitur aspectibus; paulus usque ad celum tertium rapitur.

(Al margen:) de jhoanne babtista et de dauid.

Sed jhoannes super pectus domini terre omnis requieuit. Quid mirum si dauid, omnem illius fecerit volumtatem; quando jhoannes de se suisque militibus dicat: Precepta ejus seruamus, et que sunt placita sub oculis ejus facimus.

Quid dicis, quia jacob, moyses, esayas, atque miceas, dominum peruiderunt; quem nullus uiderit uirginum quomodo es inmemor lectioni, et nostros celibes pretermittis? *(Al margen:* de daniel.) Nam daniel sic ayt: Aspiciebam donec troni positi sunt; et anticus dierum sedit. Sed et tres pueri in flammis mediis contituti; suis obtutibus dominum peruiderunt. Paulus etiam ayt: Nonne christum jhesum dominum nostrum uidi. Sed et jhoannes multis uicibus deum axpesit, sicut ipse ayt: Ecce uideo tronum positum in celo; et super tronum sedentem, et his qui sedeuat, similis erat uissu jaspidi, et sardino jaspidi. Nam et in montem, cum aliis discipulis in majestatis sue fulgore, uidit dominum saluatorem. Quid pluribus uirginitatis; non solum dominum uidet; sed et super pectus ejus accubans requiescit. Quod etiam dicis principum etiam uirginum apostolorum petrum fuisse; nisi fallor, falleris. Si enim christus apostolus est, ipso dicente: non sum missus; nisi ad obes que perierant domus srahel. Et utique latine missus, grece apostolus dicitur. Sed et paulus: Considerate inquid apostolum, et pontificem confessionis nostre jhesum, sine duuio uirginem

oportuerat preesse apostolis. Quid diribas illam uocem, ad petri magnificentiam singularem: beatus est symon barjona; quasi non omnibus dicitur credentibus; beati oculi qui uident que uidetis. El beati eritis; quum maledixerint uos. Si firmans fundari ecclesiam super petrum; apparet quod hunc locum, non adtentius aduertisti. Petram enim non nobimus, nisi christum. Paulo apostolo periuente: Petra autem inquid erat christus. Nam si et ipse fundatus erat in petra, quomodo super ipsum fundari poterat ecclesia? Nam et si dictum est fundati supra fundamentum apostolorum et prophetarum. Sequitur ipso summo angulari lapide existente christo jhesu, in quo omnis hedificatio conpacta crescat in templum sanctum in domino quia fundamentum aliut nemo potest ponere preter id quod positum est, quod est christus jhesus. Postremo, si supra petram ecclesia conlocatur; ergo et supra jhoannem et paulum, ceterosque apostolos, quia dictum est: fundati supra fundamentum apostolorum et prophetarum. Petro inquis clabes regni celorum traduntur, non bene sentiendo, interpolasti timet intellectum. Quod petro dicitur, omnibus dicitur; sicut dominus ayt: Quod uobis dico, omnibus dico. Denique quod singulariter dicat petro: tibi dabo clabes regni celorum; et que ligaberis super terram, erunt ligata et in celis; et que solberis super terram, erunt soluta et in celis: post resurrectionem dominus ceteris dixit apostolis in commune. Miraris petrum, quod clabes accepit regni celorum; quando etiam penes scribas, et phariseos eas esse dominus adtestatur? Multum uidetur quod petrus, tam pro domino quam pro se, didracmatis soluerit censum? Dare enim tributum, inferiorum est officium, non magnorum. Nam si magnorum esset, utique per manum suam dominus soluisset. Stupes petrum super undas corporeis gressibus incessise: non miraris paulum usque ad tertium celum conscendisse? Si petro pascendo oues a domino conmendatur; ergo et ipse perdidit pastoris officium? El quomodo dicit: ego sum pastor bonus. Uis nosse quia communis est dignitas officii pastoralis. Audi apostolum: Ipse inquit, dedit quosdam apostolos, quosdam prophetas, quosdam uero euangelistas, quosdam autem pastores, et doctores obium: et audite uerbum domini pastores srahel, et pascite qui in uobis

est gregem chisti. Postremo, christus obes suas conmendauerit petro.

(Al margen:) de beata maria.

Jhoanni tamen, genitricem propriam conmendauit. Quod replicas quia petro, resurgens dominus apparuit ante omnes, secundum pauli sententiam dicentis: primum apparuit cephe, postea undecim, uerum est quia inter sexum masculini generis, petro primum sese dominus expoliatis inferis manifestat. Ceterum, pre omnibus apostolis mulieribus sese demonstrans jubentur petro, uel ceteris apostolis nuntiare dominum resurgentem. *(Al margen:* de elia et enoch). Quis autem maritorum, sicut helias noster potuit celum grauitate corporis penetrare? Nam si et enoch translatus est conjugatus; quare non sicut elias cum tanto prodigio claritatis. De illius translatione qualitate siletur; de istius scriptura uocibus gloriosius enarratur. In obsequium ejus, ignea quadriga dirigitur. De jordane ubi babtizatus est dominus, elebatur, et quod mireris corpulentus, nec flammis aduritur; nec per uacuum aerem deorsum pondere uergente deicitur. *(Al margen:* de arca testamenti). Et quantum arca ualuit testamenti; que jordanis fluentis diuisis per siccum alueum commeauit; tantum melotis istius conpensauit. Quis sicut jheremias; ante sanctificatur in utero, quam nascatur: et nec dum fusus in auras prophetam gentibus destinatur.

(Al margen:) de jhoanne babtista.

Qui sicut jhoanne babtista propter dominum nec dum natus exultat in gaudium: et preconis officio, in occursum domini, jam tunc erumpere gestiebat. Quis hominum habuit babtisma proprium, sicut ipse? Quis ab utero matris spiritu sancto repletus est? Quis tante prerogatiue titulo sublimatur; ut nazareus propheta, preco, uox euangelista, babtista, auromicula doctor, martyr, et angelus predicetur? Cujus desectum caput ante mensas regias cumulauit; quam sepulcrum saxeum honorauit.

(*Al margen:*) de jhoanne euangelista.

Quis super pectus domini ut jhoannes recubuit; de quo alio loco dicitur: sic eum uolo manere. Quis conjugum ante crucem domini, judeis trementibus perdurabit. Immo fugientibus con-

jugatis solus cum uirgine uirgo permansit. Sed quid jhoanne memorem.

(*Al margen:*) de beata maria.

Virgo maria ante patibolum Filii tormentis, presentibus aderat; et alii nullis persequentibus fugiebant. Uirginitas coram inimicis pendentem dominum contemplatur, et nuptie deserunt; et eum nescire fatentur.

MATER DIXIT.

Pro nobis facit tue prosecutionis defensio. Nefas enim erat apostolis conjugatis, pendentem dominum intueri; nec eorum sanctos obtutus judeorum facinus, funestaret.

UIRGO DIXIT.

Posset tibi istut aliquatenus ad defensionem proticere, si referentie instinctum id facerent non timore. Denique non potest consors christi fieri gaudiorum; qui particeps ejus non fuerit passionum. Nam uis nosse ad salutem omnis modis pertinere; crucifixum dominum conspicari. Legimus in numeris qui plagati fuerant a serpente; pendentis aspectione serpentis; continuo sanabantur. Quem serpentem figuram domini continere; Ipse in euangelio declarabit. Qui sicut paulus uinus, in tertium rapitur celum, et in paradisum; ut unde adam exulatus fuerat cum uxore; ibi regrederetur uirginitas singularis. Quis alius audit ineffabilia uerba, que non licet homini loqui? Quis alius jherusalem in circuitu, usque in iliricum, et per romam spanias transituras euangelio christi repleuit? Postremo, quis sicut beata maria, ad cujus obsequium angeli diriguntur; que de spiritu sancto concipiens, suum genuit plasmatorem? Cujus uictricibus (*corr.*: femina uictor) telis (*corr.*: sagittis), nequaquam genetrix expugnata argumentis subtilioribus macinatis (*corr.*: mala cogitat) uirginitatis aciem expugnare nititur insolenter.

MATER DIXIT.

Si ueritatis fulta presidiis fiduciam geris; nequaquam certamen longis spatiis protelemus. Sed angustis interrogationibus confligamus, ut disputationum conflictus, paruo diastemate obeunte facile conpendio finiatur.

UIRGO DIXIT.

EQUITAS DIUINE RELIGIONIS exigit, parentum motibus obedire et his morigerari, dumtaxat que propositum non offendunt. Quomodo uis certamina conseramus. Quamuis beatus apostolus uerborum pugnas proibeat, tamen propter prejudicium propositi uirginalis, ne dum dissimulamus refellere falsitatem, uideatur tibi ueritas titubare. Respondere uestris oppositionibus non cunctabor. Qui enim filius esse dignatus est uirginis; ipse nunc uixilla uirginalia sublimauit. Que nuptiarum imperiis niteris subjugare.

MATER DIXIT.

Primi hominis aduc uirgines inlibati, dei transgredientes imperium, pulsi sunt paradiso, et quod uirgines perdiderunt, per prolem seminis quesierunt.

UIRGO DIXIT.

Non uirginitas in crimine fuerat; sed uolumtas. Nam ut noberis adsertionem nostram esse uerissimam; paulisper si aduerteris intimabo. (*Al margen*: de adam et eua). Si ergo ob uirginitatis culpam, non propter inobedientiam proprie uoluntatis trusi sunt paradiso; superest ut causa peccati ad dominum referatur, qui uirgines nostros condidit genitores.

MATER DIXIT.

(*Al margen*:) dina et susanna.

Uirgo filia jacob, uni repugnare non potuit corruptori; cum susanna duobus restiterit inpudicis.

UIRGO DIXIT.

JAM SUPRA DIXIMUS QUOD NON SIT in culpa propositum, sed uolumtas. (*Al margen*: de juda traditore) Numquid condemnare poteris apostolatus officium, quia condam apostolus sese prebuerit domini proditorem? Neque enim sub inertia personarum, poterit sanctum labefactari propositum. Quomodo propter militem segniorem non poteris incausari militiam; uel propter inperitum lectorem, lectio condemnari? Nam quod pretendis numerum seniorum, ad unius adulescentis personam (*al margen*: de daniele), scito plus preualere unius adulescentis uirtutem, quam duorum senun deuilium.

MATER DIXIT.

(*Al margen*:) de euersione jhorosolime.

Si distantiam facis inter uirginitatem et nuptias; que causa fuerat ut jherosolimorum excidio, quando nabucodonosor, judeam populatus obtinuit, uirgines cum mulieribus uiolate, similem corruptionis exitum sortirentur. Nec ut tu putas nobilitas uirginalis, aliquo presidio potuit defensari. (*Al margen*: jheremias). Nam jheremias ita testatur: Mulieres in syon humiliauerunt, et uirgines in ciuitatibus juda. Utique professionis diuersitas; aut nullam aut diuersam decuit ynominiam sustinere, et in his gradibus in quibus nuptias multam esse differentiam multa esset et pollutionis distantia.

Uirgo dixit.

Minime illut uideo auertisti prophete uaticinium recitatum. Potentes potenter tormenta patientur. Quanto enin quis amplissima supereminet dignitate, tanto majoribus suppliciis fiet obnoxius; si jussa contemserit imperantis. Et quanto quis meritis inlustribus sublimatur, tanto censura grabissima punietur; si summorum beneficiorum oblitus ignobilem sese prebuerit et indignum domino conprobante: Seruus inquid sciens uolumtatem domini sui et non faciens digna; plagis uapulauit multis.

Mater dixit.

Sepenumero uirginitati, nuptie damnantur. Nam helias zezabel aufugit (*al margen*: de jheremias et tribus pueris), et jheremiam jude principes adflixerunt. Et tres pueros babilonii uinculis conligarunt. Et ut simul referam: omnes uirgines habuere dominos conjugatos. Denique helias, helisseus, predictus jheremias, daniel et tres pueri supradicti, regibus subditi fuerunt uxoratis.

Uirgo dixit.

Miraris si hos qui de mundo non sunt, oderit mundus? Quid hoc refert ad castimonie decus? Num quia ipse dominus cesaris et edicto census est capite; majorem christo judicas? Aut quia columbis acipitres dominantur, laudatiores erunt columbis? Aut quia lupis agni subduntur; lupi supereminere potuerunt agnos?

Mater dixit.

Si in primo gradu uirginitatem ponis, et in nobissimo nuptias, dominus et salbator nobissimis proposuit primos dicens: Erunt primi nobissimi, et nobissimi primi.

UIRGO DIXIT.

Quid mirum, si terrena astutia habeat ignorantie uelamentum quod carere non poteris nisi ad spiritum transiens dicas: Da mici intellectum, et prescrutabo legem tuam. Et illum audire admonentem: Scrutamini scripturas. Quum in ipsis putatis uitam eternam habere. Quid tibi proderit si uerbum dei sit tibi positum in ruinam, et non in resurrectionem intellegentie sanioris? Igitur si ita sentis: erunt primi nobissimi, et primi nobissimi; et uirginitati nuptie preterantur, ergo et sacerdotes reputabuntur in numero populorum, et populi in gradu pontificum. Ergo capita uertentur in pedes: Et ubi illut apostoli; in sublimitate uerticum mutabuntur pedes. Unusquisque in suo ordine; et omnia honeste, et secundum ordinem fiant; et secundum tempus superest ut in domino cadat hujus inononarationis origo qui innumeros sua prouidentia proueit ad honorem. Sed sic intellegendum erunt primi nobissimi et nobissimi primi: ut qui primo sese offerunt inter fratres studentes primatibus et primos discuuitos eligentes, noberint se in ultimorum numero deputandos. Et qui humili conscientia omnibus abjectiores sese judicant et minores, hos justo judicio sublimandos. Quia deus superuis resistit; humilibus autem dat gratiam. Ut salutari remedio superuus tali pena perterritus supercilio deposito sospitetur; et humilis tanta nobilitatus mercede longanimitatis studeat; non tumori. Quum noberit dum sese deicit exaltari: et elatus docetur salubriter humiliari, et humilis instruitur non efferri. Quia dominus quum hanc parabolam inquoasset, horum graduum fecerat mentionem. Uides clabem clasure proprie quoabtatam; et tu putas ex ea claustra omnia reservari?

MATER DIXIT.

Si secundum jhoannem apostolum testimonium majus est dei, puto quod ad nostre, prosecutionis ueridicum documentum plus ipsius sermo proficiat; qui feminam uiri adjutorium appellauit, quamuis quem te ipsam preuere uiri neclegis adjutricem. Nicil enim illo dementius, qui adjutorium nec suscipere contemtus est, nec prebere.

UIRGO DIXIT.

Si librum geneseos legisses et cognobisses (*al margen:* de abraam et sarram) abraam propter sui periculum sarram pro conjugem propriam in sororis uocabulum conmutasse; numquam mulierem adjutricem masculi confirmasses; aut qua dixit apostolus: Dei adjutores, extimas apostolos dominum adjubisse? Postremo, adjutorium uiri sit femina; quia preuet terram semini oportunam; quia uterque sese egent, et mutuo adjutorio opus habent. Cui uero non placet seminare terram, non sustinet adjutricem.

MATER DIXIT.

(*Al margen:* de rebecca.) Reuecca dum uirgo esset, aquam more bajulabat ancillarum: dum sortitur uirum, opulens dominatur.

UIRGO DIXIT. Sic que tunc scripta sunt non sibi sed nobis procul dubio ministrabant, tuis sermonibus circundaris. Aquam enim aurire, euangelistarum officium est, paulo probante: Ego inquid plantaui, apollo rigauit. Nam sicut probabimus, quia ipse dominus pastor est, necesse est ut suis ouibus aquam impleat potaturis. Nam et si reuecca maritata efficitur ditissima; numquid qui corintiis dicitur jam diuites facti estis meliores erant; quam dum sacramenta babtismatis perceperunt? Hoc secundum storiam. Ceterum sanctorum anime antequam christo domino copulentur uiles sunt, et egentes, dum ejus amplexibus potiuntur, audiunt: In omnibus ditati estis in christo in omni uerbo, et omni scientia, et ditatu, in omnibus diuitiis plenitudinis, et intellectus.

MATER DIXIT (*Al margen:* de jacob.)

Jacob, dum uirgo est, pascit pecodes ut plebejus, clarior et prediues deum uidet postea jam maritus.

UIRGO DIXIT.

Si cuncta in figuram patrum tempore contingebant, scito quod officium pastorale potentissime sit glorie non uulgaris. Nempe superius memorasti, quod pro summa dignitate oues suas domino tradiderat petro. Nam inter cetera uirtutum uocabula quibus esse dominus uocari dignatus est, etiam pastoris uoluit censiri uocabulo dicens: Ego sum pastor bonus. Quod uero dicis jacob maritum postea dominum aspexisse, scito quod dum mesopota-

miam pergeret uxorem accipere, primo uiderit deum: et uide differentias uisionis, dum uirgo prospicit dominum celestibus sublimatur. Postea arescente neruo, claudicans deturpatur. Tunc uia illius in omnibus prosperatur; post tristis et anxius tribulatur. Primo, promissiones inpetrat gloriosas: in secundo, timore fratris cupit amittere, que habebat.

MATER DIXIT. (*Al margen:* de jhoseph.)

Joseph dum conjungium non sortitur, a fratribus uenundatur. Captibus exinde squalore carceris defedatur; dum sponsalitatis jure perfruitur, a patre uel a fratribus adoratur.

UIRGO DIXIT.

NISI UNIUSCUJUSQUE RÉI PRETERITE presentia cognoberis et futura, numquam poteris certi aliquid indagare. Uide quia omnis potentatus jhoseph, de munere ei uenerat prophetie, quo jam pridem celebs pollebat. Quid miraris jacob justum filium adorasse, quum abraham adorarit filios cethim sacrilegos? Quod uero inproperium pones sordes carceris et squalores, ignoras quia arbor in figura hominis posita, per cophinum stercoris, a securis excidio liberatur? Et ninneuite per sordidos cineres a presenti interitu redimuntur? Denique quod in jhoseph uirgine ciminaris distracto scilicet a germanis; ad prerogatibam illius profecit claritatis. Beatus namque est, qui cum christo uenditur a germanis.

MATER DIXIT. (*Al margen:* moyses et pharao.)

Moyses dum uxori minime sociatur, insidias sustinens pharahonis, profugus et egenus; huc illucque jactatus afligitur. Dum uero sephore talamis copulatur, legatus domini destinatur.

UIRGO DIXIT.

In hoc inferioris meriti extimas moysen quod pharaonis persequutionibus agitatur; quando indicium sit meriti sanctioris persequutionem, propter justitiam sustinere. Utique paulus apostolus, tunc erat inlustrior, quando persequutionibus fatigabatur, non quando persequutiones ecclesiis inferebat. Ad gloriam deputas, quia postea legatus efficitur moyses; cum utique majus sit possidere regnum celorum? Quia scriptum est: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum

celorum; quam legatus effici. Quando delegatio ad regnum, non de regno ad legationis officium transeatur.

MATER DIXIT. *(Al margen:* de dauid.)

Dauid, dum sponsus non est, gregem pascit ignobilis, postea adlateratus uxori; sceptris regalibus sublimatur.

UIRGO DIXIT.

Digna enim es audire cum apostolo: quia uidisti et credidisti. Credidisti dauid regem posterius ordinatum, et non credis in regem primitus unctum? Utique hoc erat seminarium, regni susceptí? Si enim regem hunctio consecrauit, dum uirgo ungitur à propheta, regnare incipit in unguento.

MATER DIXIT. *(Al margen:* de salomon.)

Salomon dum nuptias non celebrat, pribatus est. Dum mulierum potitur amplexibus, et rex efficitur; et singularem sapientiam promeretur; et templum construit.

UIRGO DIXIT.

Quid mulieri aderendo, glorosiorem predicas salomonem; quando illius ruine interitum, causa mulierum procurauit? Quid proderat templum dominno fabricare, et postea in domini templi peccare? Nonne melius erat, priuatum manere; sicut ipse testatus est salomon: Melius est pauper sanus, et fortis uiribus; quam diues inuecillis, et flagellatus malitia.

MATER DIXIT.

SPIRITUS HELIE UIRGINIS, UIX IN uno discipulo dupplicatur; de spiritu qui erat in conjugato moyse, septuaginta uiri replentur.

UIRGO DIXIT.

Contemtiosa prosecutio tua, in tantum cepit augmentum; ut etiam non in homine, sed in spiritu sancto inbeatur Spiritus qui erat in moyse uel helia non erat proprius, sed diuinus. Nec in moyse ditior, nec in helia fuerat egens. Neque enim si flamma que in hac domo est, plures lucernas accendat, preferendam est illa domus huic, in qua rapidissimus ignis accendat faculas pauciores. Si igitur in rebus materialibus inequalitatem non potes succensere quia diuersitaten locorum flamma proprietatem sue substantie non amittit, in diuinitatis splendore; quomo-

do arbitraris, hanc dispensationem conuenientissimam repreendere. Nam ipse spiritus dei, nunc per profetas, nunc cum apostolis centum uiginti replet. Nunc credentium aliquos judeorum, nunc gentilium, nunc subito, totum mundo, et idem ipse permanens, nec de paucis defectum, nec a pluribus suscipit ampliamentum. Nam et hic sol eadem plenitudinem pauciora uasa replet, quam plurima.

MATER DIXIT. (*Al margen:* de jahel, judith, oloforme, de filia gepte.)

Jahel sortita conjungium, superuissimum syram jugulauit. Judith cognita uiro, terriuilem interfecit olofornem. Et uirgo filia gepte non solum hostium nullum occidit; sed nec se ipsam a morte uoluit liberare.

UIRGO DIXIT.

Que aliis fobeam preparas altiorem, secundum secripturam, ne prius in eam incidas non uereris. Calumnia quam ouicis ante te; nodis insolubilibus conligauit, dum claruit adsertio ueritatis. In hoc supradictas mulieres extimas gloriosas; dum quosdam hostium trucidarunt? quando noberis dominum precepisse ne occidas? Quam prestantior uirgo nostra que nullius sanguine cruentata proprii corporis uitia jugulando; se ipsam uibam obtulit olocaustum? Tamen si omnium caperes facta uirgines omnes inuenies ampliora. Ille aduersariorum sanguinem superarunt; in hujus sangine uictoria consistit srhaelis. Ille per dolum, hec per innocentiam superauit. Exemplum imitata dominicum, qui sua morte humano generi uictoriam procurauit. Nam et noueris celibes clariores triumphos, sepe de hostibus peregisse. Quis sicut dauid adhuc uirgo, tam famose uictorie laureis sublimatur? Quis sicut daniel patientia sua, et accusatores superat et leones? Quis sicut tres pueri et de rege superuo, et de accusatoribus, et de ignibus triumpharunt? Ut ignes flammarum seuientium non curarent, qui uirginitatis amplitudine prefulgeuant.

MATER DIXIT. (*Al margen*: de apostolis.)

DOMINUS et salbator uolens preponere uirginitati conjugia cum apostolos elegisset undecim maritis helectis, unum uirginem conuocauit. Quem gradum si meliorem utique judicasset; aut

omnes, aut plures uirgines consecrasset: ne ejus comitatus obsequii de turba ignouili uiluisset.

UIRGO DIXIT.

Tempus est ut ad te illut euangelü dirigatur; errans an nesciens scripturas: neque uirtutem dei, que extimas humana quantitatem deum uel proficere, uel uilescere. Non legisti profetam domino suggerentem: quoniam bonorum meorum non indiges? Si enim isti soli corporeo oculorum diuersitas non auget, nec minuit claritatem; quanto magis humana societas, nicil potest deo uel adicere uel aufferre? Quot uero inter duodecim, jhoannes unus eligitur uirgo, asertio nobis tacentibus fabet; dominus in jhoanne uirginitatis raritatem hostendit. Omni enim habundantie pretiosior paucitas, sicut in palatio principum rara est sublimior dignitas. Denique uix unus, aut duo sunt consules, cum abundet numerositas senatorum. Et in ecclesia unus est pontifex cum turba superfluat clericorum. Nam temporibus salomonis cum templum domino dedicasset; non tantum exuberat aurum, cum uelut sicomora habundaret argentum.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INCIPIT LIBER SEGUNDVS.

FINITIS QUESTIONIBUS personarum, quibus argumentatrix parens prejudicare filiam conabatur: ubi patrocinante equissima ueritate locum suis non inuenti decipulis; apostolum producit in medium. De quo putabat obtinere sue subplantationis commenta quatenus disputationibus supradictis, nicil se ipsam cognoberat peregisset. Quit inquid ultra proueimur apostolus uirginitatis jura a domino siui negauit injuncta dicens: De uirginibus preceptum domini non abeo: tu quomodo propositum nequaquam diuinitus promulgatum nefaria presumtione niteris profiteri? Nam et sic secutus adjunxit: Consilium autem do, non ad auctoritatem continuo pertineuit; quod infertur consilio non precepto. Aliut est precepto constringi; aliut consilio premoniri. In precepto auctoritas; in consilio constat suggessio. Nec hominen deo preponam; plus enim est preceptum domini, quam pauli consilium.

UIRGO DIXIT.

O DIFFICILIS AD CREDENDUM: dum nolis simpliciter ignorantiam

confiteri; implicitis errore gressibus deuergis protinus ruitura. Quid autem erat pauli, quod non fuerat christi; cum ipse dicat apostolus: An experimentum ejus uultis accipere; qui in me loquitur christus? Si itaque christus loqueuatur in paulo, manifestum est quia consilium pauli, consilium fuerat christi. Sicut corintheos quos suam epistolam nominabat, postea christi epistolam asserebat. Sicut ayt ipse: Epistola nostra uos estis, et infra: Quonian estis epistola christi. Set ut ipse diceret: Preceptum domini non abeo, subintelligitur manifestius declaratum; propter superiores etates; quanto tempus fuerat amplexandi. Nam si ita non est, ergo ipse paulus contra jura domini facieuat, qui uirginitatis titulo prefulgeuat. Uel sic intelligi potest de uirginitate preceptum domini non habere ut non quidem fuerit de uirginitate preceptum domini, sed uolumtas. Quam uolumtatem, ut decuerat illo tempore multis expressit imaginibus et figuris. Nam si integritatem exerceri uolumtatis domini non fuisset, nec profetas, nec apostolos uirgines elegisset. Nemo enim hoc helegit, quod condemnat. Denique primis temporibus, quodquod fuerant uirgines pene omnes munere ditati sunt prophetie; cum maritorum plurimi ygnouiles extetissent. Inconueniens enim erat amplexandi tempore *(al margen:* adtentius), uirginitatem insinuari populo per apertum. Sed eo tempore quo conuenit longe fieri ab amplexu ordo posceuat sanissimus, non primum quod spirituale sed quod animale, postea quod spirituale est celebrare. Decebat enim *(al margen:* pulcre dictum) nascentem mundum fetibus cumulari et senescentem subole tenuari, ut sicut tunc numerositate conjugum partubus augebatur; ita nunc paulatim multitudine uirginum minuatur. Carnali enim plebe (*al margen:* preclare dictum) non conueniebat hec perfecte, euidentius intimare. Nec populo sub umbris et imaginibus constituto rei proprietas lucidius explanari. Ne minus capacioribus animis, non tam cibus fieret; quam uenenum. Quamuis; matres lactantibus filiis, omnia tribuant alimenta; non tamen per paticipium solidioris substantie, sed per imaginem mamillarum, lac enim cibus, uel potus est eliquatus, sed hoc paruulis illut grandiusculis conuenit. Quamuis utrique uitalibus epulis sustentatur; tamen pro mensura uniuscu-

jusque etatis ut infantibus liquefacte capacioribus integre alimonie dispensentur, quia tempus et tempus, et omni rei tempus. Quod enim presens etas ciuis uirginatatis pascitur per apertum; prior populus per ubera pasceuatur. Tunc uirginatis fuerat in conceptu; restabat ut eo tempore formaretur quo semen cui promissum est adueniret, et simini inquid tuo quod est christus. In aduentum siquidem illius *(al margen:* de christo), multa hujusmodi seruabantur. Ut pax, fides, unde dictum est: Erit in temporibus tuis fides. Nam contentus seculi, mortificatio corporis, martyrii dignitas, et hujusmodi similia uelut officia quedam et comites clariores, ut inclitus imperator inusitatis ordinibus procederet regnaturus; ut noba progenies; et nouis insignibus coruscaret. Quod illut uaticinium conpleretur: post omnem hominem traet. Nam uis nosse uirginitatis imagines, primis temporibus adumbratas? Fastidio non sit si proferre documenta plurima cupientem, sermo latius extendatur.

(Al margen: Testimonia uirginitati congruentia). Nonne uirginitas in illis misteriis uelabatur in quibus jubenca, necdum jugum patiens admonita sacrificiis cedebatur? Nonne celibatus proprie prodeuatur *(al margen:* ubi ysac sunamitis); dum non ualent mulieres calefacere dauid membra frigentia, nisi uirgo que in uirginitatis signum nulli marito copulatur in posterum? Quam quum uellet adonias *(al margen:* adonias) in conubium postulare, digne mortis ultione punitur? Nonne integritatis insignia mostrabantur, dum jubetur propheta jhesrael *(al margen:* ose); quod dicitur semen dei, suum filium uocitare? Nonne uirginitatis preconia prophete jugiter cecinerunt? ut est illut: Tempus amplexandi; et tempus longe fieri ab amplexu? Et adducentur regi uirgines post eam, et uirgo srhael coronaberis. Et hedificaberis uirgo srhael; et tunc letaberis uirgo in choro. Et reuertere uirgo srhael, reuertere. Et numquid obliuiscere poterit uirgo fascie pectoralis sue, et quid bonum est et justum; nisi frumentum helectorum, et uinum germinans uirgines. Illut etiam omnium salutare (*al margen:* de sancta maria): Ecce uirgo in utero accipiet; et pariet filium. Et beatus qui abet semen in syon. Cum noberis si hoc accipias dictum: de semine corporali filia syon, uocibus domini condemnatas, et in

benedictione jherusalem dicitur: Semen pacis erit in ea. Dum per continentia sedatur cupido corporea. Et iterum: Ecce dies ueniunt dicit dominus, et seminabo domum srhael et domum juda semine hominis, et semine jumentorum. Quod ad litteram non stauit, nisi ad uirginitatis intellegentiam diriuaris. Numquid in domo juda illis diebus, semen hominum et jumentorum non fuerat? Sed hoc promittitur in futurum; quod tam nobiles, quam uulgares, quod significant homines et jumenta; uirginitatis floribus redolerent. Unde et propheta dicente: Placeuit deo super uitulum nobellum; cum de bubis non pertineat deo. Nec non et plurima his similia, in ueteri testamento inuenies.

(*Al margen:* de christo.) Si requiras que non passim primitus prodebantur; quia christo domino seruabantur, utpote auctori uirginitatis et principi, ut in corpore suo uirginitatis elebato uexillo, de toto mundo in occursum ejus absconsa uirginitas obuiaret, et integritatis jactacto semente, singularitatis fecunditas germinaret. Denique que de uirginitate recitabimus documenta de futuro pene omnia recensentur, ut unigenito uirginitatis gloria seruaretur. Nam pro adstructione nostra, unum de supradictis necesse est repetamus: Adducentur inquit regi uirgines, ostendens nulli alii cuilibet de uulgo, nisi regi uirgines adducendas. Ergo si rex tunc in suo recubitu quiescebat; nec bissino carnis mundo amictus in mundum processerat; quid mirum si sileretur uirginitas et tunc demum passim et copiosius uulgaretur, quum rex precederet et regnaret.

(*Al margen:* de nobo instrumento I, II, III.)

Ad nobum veniam instrumentum. Nonne sub figura trium eunucorum uirginitatem significabat dominus tripertitam que natural tempore, que parentum custodia, que uolumtarie deuobetur? Nam si hoc non significabat sermo dominicus, quid ad utilitatem pertinet animarum eunucorum genera recensere. Hoc non decebat scribi in euangelio majestatis quod omnes homines sciunt; et ecclesiastica jura conseruant. (*Al margen:* de samaritano.) Quid enim signabatur, quod stabulario samarites, conmendat; ut quicquid conmendato supererogasset infirmo, ipse redderet quum rediret? Quam uirginitatis professio, que precepto non inponitur,

sed offertur, nec continentie bonum uelut ex necessitate esseti sed ex uolumtate, quia super precepto est mandatorum. Denique, preceptum ponitur seruis. Volumtas queritur ab amicis. Precep-, tum, necessitatem inponit. Uolumtas, necessitatem supergreditur mandatorum. Uolumtas, ad filios. Imperium, pertinet ad famulos. Ergo si uirginitas ad gradum pertinet filiorum; quomodo precepto potuit imperari: ne uideretur nicilhominus gloria illius defraudari? Que uirginitas propterea non recapitulatur in numero mandatorum; quia inutilis est qui conplet opere quod jubetur. Mirabilis uero est, qui facit quod non exigitur. Quia itaque uirginitas inter grados reliquos habetur mirabilis et preclara merito; non contenta est legibus subjacere; sed legem potius preuenire. Igitur consulte hactum est hanc legalibus mandatis omnibus non juberi, ne illi qui non possunt capere uerbum istut, extimantes generaliter promulgatum, in sui periculo arduum adgrederentur negotium.

Nam et sacrificia quemammodum et celibatus non sunt offerentibus imperata. Denique sic scriptum est: Si offers munus tuum; non imperatiue dicitur offer; sed si offers. Quod dictum, nec nolentibus necessitatem inponit; nec uolemtibus adimit uolumtatem. Apostolus etiam domini concordans sermonibus ayt: Uolo cmnes homines esse, sicut me ipsum. Et dicò innuptis et uiduis, bonum esse illis, si sic permanserint sicut et ego. Et existimo hoc bonum esse propter presentem necessitatem. Quia bonum est homini sic esse. Et uolo uos sine sollicitudine esse. Et qui non dat nuptu m, melius facit. Et solutus est ab uxore; ne quesieris uxorem. Et hoc ad utilitatem uestram dico. Hec sunt que de uirginitatis bono, diuina intonat scriptura.

(*Al margen:* de instantia uirginum et nuptiarum). *Audi etiam que sit meritorum distantia uirginum et nuptiarum.*

Virgo christo, marita uiro proprio placet. Illa spiritu et corpore sancta est: ista dum deuitum conjungii soluit, ab oratione suspenditur. Uirginitas super pectus domini requieuit. Et populus non ante meruit uocem saltim audire dominicam, nisi a mulierum amplexibus temperaret. Madianitarum mulieres, propter quod usum uirilem cognouerant, perimuntur. Et uirgines incolomes reseruantur. Qui uxorem accepit, de castris domini reuoca-

tur. Cum christum uirginitas jugiter comitatur. Nuptie in adam; uirginitas dicatur in christo. Nuptie omicidam; uirginitas genuit saluatorem. Nuptie in dolore; uirginitas in benedictione, enixa est redemtorem. Eua inter spinas; maria in domo panis generat, quod ebrayce dicitur bethlem. Eua in humilibus; maria parit in montibus. Unde dictum est: Erit firmamentum in terra in summis montibus superextolletur super libanum fluctus ejus. In partu eue, dolores et gemitus ampliantur. In partu uirginis, angelorum militia congregarentur. Ibi gemitus; hic gaudium. Ibi terra producit spinas; hic celum exibet uirtutes angelicas. Ibi terra protulit ueprem, hic germinat salbatorem. Ibi totius seculi condemnatio; nam in partu uirginis, totius mundo redemtio. Eua ygnea rumphea terretur; maria aduentu sancti spiritus obumbratur. Adam spinas patitur, dominus jhesus chistus flos est et lilium, Tunc dictum est, non est bonum hominem sic esse; modo dicitur, bonum est homini sic esse.

MATER DIXIT.

ERGO APOSTOLUS PRECEPTIS DOMINICIS aduersatur, et diuinorum ut uideo destructor est mandatorum; qui uocem dominicam, audeat uacuare.

UIRGO DIXIT.

ADUERSITAS NULLA EST QUE cum conuenientia temporis dispensatur. Neque enim si yeme pellem jubearis inducere, et hanc precipiaris deponere per estatem; nudacitas uidetur interesse. Neque enim uicissitudo temporum *(al margen:* de anni alteratione) discrepantiam facit; nec annus illis alternantibus diminutionem fructuum patitur sed augmentum. Non legisti a mane usque ad uesperum mutabitur tempus? Ab illo sine duuio qui tempora mutat: ut in hac inmutatione temporum maturitas fructibus proueniret? Ergo dum tempus brebe non erat dicitur: non est bonum hominem sic esse. Dum predicatur tempus brebe est; infertur bonum est homini sic esse. Tunc dictum es: Maledicta sterilis; modo dicitur, beata sterilis. Numquid quia ipse dominus naturam mutauit aquarum (*al margen:* de agua in uino conuersa); contra sui fecit ordinem constituti; qui rem suam non alienam, set in facturam propriam comutauit? Aut quia dicitur ei: mutabis ea et

mutabuntur? Repreensione dignus est mutatione facture? Non uituperandus, sed laude dignus est magister, qui proficienti discipulo majora conscribit mutatione alfabeti. Si magister noster christus, oportuit senescentem mundum, ad profundissima et grandia prouocare. Nonne paulus apostolus christum crucifixum in populis predicabat? et tamen dicit: Et si nobimus secundum carnem christum, sed nunc jam non nouimus, numquid predicationis sue euangelium repreendit? Absit; quia qui derelinquens initii; christi verbum in consummationem respicit, nequaquam repreendendus est, sed laudandus. (*Al margen:* de christi dispensatione). Quia non uno modo dispensatio christi conpletur; aliter patientia morientis; Aliter gloria resurgentis: Aliter triumphus in celo perficitur mirabiliter consedentis resurrecturi potentia passionis tempore tegeuatur; et resurgendi tempore ludibria, oportuerat discedere passionum. Tam diu permansit uox illa seculi primitibi: Crescite et multiplicamini et replete terram quamdiu corruptione generante uirginitas nec dum genuerat salbatorem. Ubi ergo uirgo genuit deum, fructus uirginitatis hostensio; clamatur in terris: Libera me de sanguinibus deus deus salutis mee. Et in carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Et nostra conuersatio in celis est. Et qui seminaberit in spiritu; de spiritu metet uitam eternam. Denique illos qui nubebant (*al margen:* de dillubium) et nubebantur, inundans dillubium deuorauit. Qui uero non nubent nec nubentur; angelis adequati cum deo in perpetuum conregnabunt. Aut qua uerecundia superponis uirginitati conjungia? Sufficit tibi quod filii seculi sunt, que nubentur et nubent; et filii resurrectionis, qui concubitum non nouerunt.

Mater dixit.

Quatenus lectioni diuine parum erudita sermonibus non ualeo sancte scribture memoriam recensere, unum tantummodo eloquar quod omnis tue uelocitatis sagacitas eneruetur. Apostolus cui contradicere non audeuis. Precepit filios dicto obedientes esse parentum dicens: Filioli, obedite parentibus uestris. Et secutus adjunxit: Hoc enim justum est. Itaque contra justitiam facit quisquis obedientiam parentibus non pretendit.

UIRGO DIXIT.

OMNIS CIRCUMSTANTIA LECTIONIS dum non recapitulatur ad integrum confundit, et obnubilat intellectum. Inperfecta prosecutio tua, acie mentis obtunsa; prabe intellegentie tibimet umbras intemperat. Quum enim dixisset apostolus: filii obedite parentibus uestris; addidit quod ipsa pretermisisti, in domino. Qui enim dixit in domino parentibus obedire; precepit extra dominum non audire, ipso dicente: Qui amat patrem aut matren super me: non est me dignus. Nam dictum est: Honora patrem tuum, et matrem tuam. Et e contra, qui dixerunt patri aut matri non nouimus uos; hii custodierunt precepta tua.

MATER DIXIT,

Uere quia in multiloquio, non effugies peccatum. Scientia tua in hoc proficit; ut precepta dominica sibi faciat discordare. Ignoras quia dum male superare contendis; contra te militans superari?

UIRGO DIXIT.

Dum noses contemta morigerari preceptis apostoli dicentis: Nolite ante tempus quicquam judicare preuenis sententiam sermonibus imperitis; uisa sum tibi discrepantiam facere preceptorum. (*al margen*: de tempore pacis et belli,) Ignorans tempus pacis et tempus belli; utique precepta temporis pacis aduersa uidentur tempore belli, cum in suo ordine salubria cognoscantur. Nam tempore belli dictum est: Maledictus qui proibuerit gladium suum a sanguine. Et tempore pacis dictum est: Reconde gladium tuum in loco suo. Hec precepta uidentur sibi contraria; quum et illut sit uerum, et istut, si conuenientiam temporis contempleris. Quod si in aduersitate temporum unimodo insinuaretur preceptum, non uitam sed periculum generaret. Belli tempore mutantur falces in gladios; et diebus pacis, gladii conflantur in falces. Nam dominus noster, et certam excitat; et conteret bella. Hoc uidetur diuersum esse, sed utilius belli tempore excitatur certamen, et utilissime pacis tempore prelia conteruntur. Honorandi precipiuntur parentes, dum salubria persuadent. Jubentur iterum detestare, dum peruersa suggerunt et extorquent.

(*Al margen*: satisfactio.) Talibus enim conflictibus, caro aduersus spiritum, aduersus uirginitatem; nubtie, libido aduersus continentiam dimicabat. Quumque mater tanta testimoniorum frequentiam uelut illi populi qui contra jhosue conflixerunt, quibusdam grandinibus celitus cederetur, acrius inflammata; his conuiciis filiam efferatur. (*al margen*: ubi eam conuiciis lacesciuit) Quatenus salubritatem maternis sermonis respicere noluisti; et inobedientia preualente, maxillas tuas super lapidem indurasti. Sed et consulentia nostra monita penitus contempsisti, in affebtione cordis tui dimissa, uelut nauis sine remigio, protinus submergeris. Jam stultiloquia tua, non patiar intonare. De cetero, conticesce. Non sustineam te ex hoc mutilare uerbosam, diuinarum legum sacrilegam, maternis monitis contumacem. Beneficii nostri inmemore. Reuellem, temerariam presumtricem, precipitem, inconsideratam, stultiloquiam, effrenatam. Tantis itaque conuiciis inrogatam; uirgis quam pluribus artus lacerat delicatos; atque yemis tempore sub ethere pruinoso, jussit statui lineatum. Sperans quod spiritu quod feruebat, niuifere noctis algore posset extinguere. Ignara quia aqua multa non posset extinguere karitatem; nec concreta glacies ygnem quem jhesus misit in terram, ualet ullatenus consophire. Illa uelut petra solidissima, que undis circumlatrantibus non mouetur, inmobilis et inperturbabilis permaneuat. Presentibus quidem, fortiter persisteuat. Futura quidem sollicita metueuat. Credens ne quid fraudis aduersus uirginem, carnalis animus moliretur. Non enim desisteret absconsis decipulis supplantere, quam apertis macinis deicere festinabat. (*Al margen*: Vbi se abstinentia quoartauit) Ex hoc non cibum summere; non somnum contemta capere. Uerauatur enim, ne occultis insidiis uinceretur, que publico certamine triumphabat. Et post trophea sublimioris uictorie, pudoris ignominiam sustineret.

Igitur quodam die a supradicto monetur presbitero quo ualeret industria, ejusdem ciuitatis episcopo presentari. Si forte posset interuentu sacerdotali, a sancta uirgine matris pertinaciam proibere. (*Al margen*: de ostearia domus.) Illa multis precibus ostearie suadeuat, ut sibi orandi gratia copiam tribueret exeundi.

Que primo cunctata post precibus emollita puella, tribuit quod petebat. Nonne multis ingenuis, liberior hec ancilla que in sui periculo, desideria uirginis adimpleret. Quam felix ostearia, quam benigna, que sic castimoniam honorauit; ut eam super penam proprii sanguinis antefferret. (*Al margen:* alia ostearia.) Quam hostearie illi dissimilis, que apostolum conturbabat. Illa de confessore, fecerat negatorem. Hec de negatrice, uoleuat facere confessorem. Cupieuat enim quod illa in petro deliquerat; hec in uirgine reparare.

Uespere itaque consummato; munilibus quibus solent nobilium uirgines adornari projectis in angulum, atque abitu amicta uirili, (*al margen*: Vbi ad episcopum confugiit) ad basilicam properauat, ubi supradicte urbis episcopus conmanebat. Quo predictus presbiter, de industria residebat. Queritur enim elia, per plateas et uicos; per excelsa montium et prerupta per inuia nemoraque silbarum, nec inuenitur a nuptis, quia in uirginitatis archem transtulerat eam deus. (*Al margen*: Vbi de ea nuntiatur episcopo). Quumque nuntiaretur episcopo filiam inlustrissime femine obseruare pro foribus, obstupefactus, quod nobillissima uirgo, nulla pedisequa comitante, hora adesset incongrua, copiam tribuit adeundi. Illa mox ingressa est, pedes ejus prostrata abhortis lacrimis irrigauit: opem atque auxilium flagitans sacerdotis. Cui fas erat matrem; de tanto negotio conpellare cum gemitu interno, his prosecuta sermonibus.

(*Al margen*: Verba uirginis). *Bellum mici domesticum, o uenerande* pater, religiosa mater indicit. Atque aduersus propria pignora intestinis propriis insolescit. Plurimo comitatur exercitu, conductas agit acies, cohortes trait, innumeras hinc gentem libidinis; hinc uiolentie turmas; hinc furoris agmina rapiens. Jam, jam, interemtura uirginitas; acies minitatur. Nequi enim ante cessare contemta est, quam signa castimonie captiuaret. Surge age sanctorum eximie, tu enim pro nostris uigilas animabus, accingere gladio uerbi dei potentissime circa femur, et uirginitatis coortes impetu jordanis abstento: ad promissionis terram inconcusse, atque inpauide gradiantur. Exaltans sicut tuba uocem tuam; ut sacerdotalibus tubis, id est terrore pontificis, male suasa ciuitas

funditus corruat tremefacta. Ne retraas manus tuas ab auxilio famule tue. Ascendens cito, libera ferque presidium, erue a framea animam meam. (*Al margen:* de moyse). Eleba manus tuas, o beate moyses in superuia matris in finem, quibus jugiter elebatis. hostis castimonie illico superetur. Respondens pro me judica causam meam: expugna inpugnantem me. Adesto castimonie predicator; ueri uirginitatis adsertor (*al margen:* adjuratio), per unius unitatis indiuisibilem trinitatem; per future promissionis beatissima munera; per nobum nomen, quod humilitate sumus christi censiti. Si te locupletatum beatis meritis gaudeamus. Si profectum totius gregis, multiplicem honorem spiritualium recipias chorónarum, meritis adequatus judicium; sedis tribunalia sortiaris. Si in conspectu omnipotentissime trinitatis letus dicas: Quos dedisti mici; memo ex eis periit. Salua me de luto limi, ut non ineream; perduc ad regis talamum crucifixi. Oleo exultationis mee lampadis fulgorem amplifica; quo possim cum sponso aulam ingredi celestium atriorum. Adduc regi uirginem; proximam ejus affer ei: adduc in letitia et exultatione; affer in templum regis; ut inueniens animam meam, quem uero teneat nec dimitatt. Exibe eum, et gaudio gaudes propter uocem sponsi; de uirginalibus uni uiro uirginem castam. Ut tu amicus sponsi qui stas et audis lucris dicentem audias salbatorem: Euge bone serue et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis; supra multam te constituam intra in gaudium domini tui. Exurge in occursum mici et uide; tu mici princeps pugne, tu egregius campi doctor, neque enim est tibi telim, quod aduersarius elicatur. Defer mici de armamentario christi spiritualia tela, nunc precibus castis, nunc sacerdotali censura, nunc lenitate maternas acies dissipato. Numquid pontificalis animus, muliebres turmas, poterit formidare? In te inclinata uirginitatis cura recumbit. Si matris mentem durissimam senseris, potes spirituali conamine sicut portas ereas contere; et uectes ferreos dissipare. Si clausos animos uideris, habes clabem det (diuinam, dauid); quo omnis reseratur abstrusio. Si inobedientem agnoberis, habes apostolicam uirgam qua inuito audiens, castigetur. Si perspexeris blasfemantem; habes potestatem tradere satane, ut discat non blasfemare. Imple gaudium meum, ut de mea

uictoria tuum impleat christus. In defensionem meam atende in adjutorium meum respice. Tu, testis. Tu, uindex. Tu, aduocatio mea. Qui etiam inter deum et homines, fungeris mediatoris officium. Discerne causam meam; de oppressione materna; tibi pecodum cura commissa est. Precipue nobilitas uirginalis, tibi super nos datus est principatus. Tibi sunt animarum credita gobernacula. Tibi celestis agricultura concessa. Tibi paradisi rationabilis, plantatio deligata. Dissipa gentes que uella libidinis uolunt; nec bono continentie delectantur. Si deus tribuit nobis pacem pergirum; et terra nostra queercit abstimulis nuptiarum. Quid belliger animus, sanguinem sitiens nostre inuidet paci? Quid falces in gladios, id est uirginitatem in nuptias querit conflare? Redime me a maternis calumniis, que ex numero reginarum ad condicionem me querit adtraere famularum. Potes namque potes, et potenter potes. In ore enim tuo, judicium portas, et in sermonibus uictoriam. Uerbum tuum acutum est; omni gladii uis acuto: de quo castimonie inimicos extinguas. Sermo tuus carmina egyptiorum preualet sapientium, quo uenenatas, et pestiferas linguas quoerceas: qui fugatis uelut quibusdam hostibus et tyrannis sub uite, et ficus suabis continentie requiescam. Neque enim te ut conducticium balaam *(al margen:* de balaam) aduenire precor; sed ut petrum, qui sicut tu uitam, de matris faucibus uelut de quibusdam inferni recessibus extraens; tristitiam uiuifices mortuam.

(Al margen: Vbi commobit plurimos uerbis suis). Hoc miserabili fletu, tam pontificis, quam audientium animos, ad lacrimas concitabat. Nec defuit qui non diceret, et nos eamus et cum ea moriamur. Ille fremebat aduersus pertinaciam matris; iste de constantiam uirginis gaudeuat. Hujus sermo sapientie sale conditus, christi famulam roborauat. Alter contemnenda matrem, exemplis dominicis testabatur. Nec deuere concidere; pro qua sponsus dominus jhesus christus, preliaretur uictricibus. Unusquisque secundum uirium quantitate, spiritualia uerba munera uirgini confereuat. Quumque uenerabilis pontifex ardorem puelle adtentius peruidisset, cepit non paruis anguoribus quoartari; eo quod nouisset inlustrissimam matrem spe subolis nullatenus ad

uoluntatem uirginis inclinari. Quid medius faceret diuinus antestis, uincebatur enim, utriusque constantia, neutra enim earum accepto proposito declinabat.

Quanto fuerat uehemens matris instantia; tanto insuperabilior erat et puelle constantia.

Mater dicebat.

Scribtum est: non est bonum hominem sic esse.

Filia dicebat.

Scribtum est: bonum est hominem sic esse.

Interea sacerdos obtimus; quia uicina nox lucis superauerat cursum; jussit sub diligenti custodia feminarum, in baselice cameram uirginem reseruari. Talem sine duuio eligens locum, que non posset scrutantis inuenire suspicio quoadusque materni animi peruideret et cum propheta diceret, qui contemptis humilibus et terrenis: Fortitudo mea dominus, et constituet pedes meos in consummatione et super altitudinem, inponet me et uincam claritatem ejus.

(*Al margen:* Vbi episcopus matrem ejus audiens alloquitur.) TANDEM CONGREDITUR PONTIFEX egregius ad furentem matrem, magno agmine constipatus. Ad quam ingressus tranquillo sermone profatur: Dum te de felicissime subolis decuerat gaudere proposito, o eximia feminarum, eo magis contristaris. Noli obsecro tanti successibus inuidere, nec propriorum uiscerum prestantissimum ardorem extinguere. Tuum decus est. Tua nobilitas; clarissimus filie celibatus. Nec ut extimas illius intentio generosis aliquid aufert natalibus; sed prestat potius et augmentat. Si quispiam perfidorum intentionem filie perturbaret: tu potius hujusmodi hominem uerbis grauioribus deterreres; ne tantorum cumulo gaudiorum, maternos animos defraudaret. Quanto magis non condecet fructum tui uteri minorare, quamlibet pretiosissimam dotem filie prepares, nicil conferre poteris uirginitate nobilius.

MATER DIXIT.

QUAMUIS IMPROBUM UIDETUR, personam nostram, cum uestre sanctitatis reuerentia alterna misceri conloquia; tamen, quia nec dominus dedignatus est cum mulieribus famulari, discendi studio, obsecro suscipias patienter feminei interrogata sermonis. Nu-

bere, justitiam judicas, aut delictum. Ne pigeat nos agregium docere antestitem.

CUI PONTIFEX UENERANDUS questionis hujus edisserens rationem uiue doctrine patefacit archana. Tue inquid capacitatis considerans modulum istius modi lineis adumbratis, interrogationis tue explanationem suscipe. Quum omnium substantiam epularum, a deo noberis procreatam quare despectis uilioribus cibis opimorum cupis excolentia ferculorum? Itaque sicut prejudicii non est facilioribus escis repositis nobiles delectari; ita peccati non est nuptiis declinatis uirginitatem conseruare uel tenere quamuis articulus tue interrogationis quotendat agnoscat; tamen perabsurdum est parem nos ouicere questionem. Simpliciter intellegentiam lucidauo; nec te dimittam sollicitam uel suspensam. *Interrogas* si nubere justitiam judicem, aut delictum. Nubere censemus esse justitiam. Sed justitie multa est differentia. Nam dicitur justitiam christus. Sicut scriptum est: Qui factus est inquit nobis sapientia a deo et justitia. Et apostoli dicuntur justitia. Testante paulo: eum qui noberat peccatum; pro nobis peccatum factum factus est; ut nos simus justitia dei in ipso. Est enim ex lege justitia: est ex fide, est sicut montes dei. Ergo sicut sub uno justitie nomine multam distantiam agnobisti; ita sub uno uocabulo justitie uirginitatis, et conjungii, multa noberis interualla. Suscipe alteram hujus rei similitudinem. Certe corpus in unoquoque homine unum est. Et in uno eodemque corpore quantam esse nosti distantiam. Ut caput eminentiore polleat dignitate. Pedes longe inferioribus dignitatis existant. Itaque si uno ut diximus corpore, disparem gratiam agnouistiquid mirum si uno justitie nomine, diuerse sunt glorie dignitatum, uirginitatis uidelicet et nuptiarum? Nec modo nuptiis derogamus, utriusque ordinis nos esse condecet defensores. Et utriusque propositi adsertores. Nec modo si alterum alteri preponentes; unumquodque in suis gradibus conlocemur? periculum facimus et errorem. Immo omnis ordinis positura, erroribus aduersatur. Quoniam ubi ordo non est inter homine, dico confusio generatur. Obstrue aures tuas, ne audiant conloquia miserorum. Qui nec ad palatia uirginitatis introeunt, nec alios intrare permittunt: dicentium maledicta sterelis. Et om-

nis arbor que non fecerit fructum, excidetur, et in igne mittetur. Nescientes que locuntur; neque de quibus adfirmant. (*Al margen:* de abel). Ergo maledictus erat abel, ad cujus munera deus aspexit; et qui diuino testimonio probatus est justus? (*al margen:* de elia). Ergo maledictus erat elias, qui sui oris imperio celum uetuit, ne plueret; et iterum precatus est ut roraret. Hujusmodi enim necesse est, illi subeant maledictum: Ue qui uocant lucem tenebras. Propterea nec spiritus dei, qui sapientie dator est, permaneuit in talibus, quia caro sunt, et secundum carnem sapiunt. Hii enim sunt animales, spiritum non habentes. Contristaris quod turba nepotum, nequaquam circumderis. Quis certus est de hac spe incerta. Non legisti incerte prouidentie nostre? Quante conjuges steriles permanserunt? Quante morte preuente sunt in partibus filiorum? Quante mortibus liberorum, non maledictas, sed beate steriles cecinerunt? (*al margen:* racel). Denique racel et nurus heli filiis nascentibus moriuntur. Reueccam penitet fetibus uterum habuisse distantiam. Si oculos cordis aperias, uidebis celiuatum, pluriores et sublimiores natos habere, quam nubtias. Uis uerborum nostrorum cognoscere ueritatem: uirginitas dum sponsi talamos nescit (*al margen*: maria), genetrix efficitur salbatoris. Si enim unus homo dauid per decem milibus computatur: christus dominus, pro quantis extimes numeretur? Nec nouitas te terreat uirginalis, quia domini hec est promissio dicentis (*al margen:* de nouitate): *Ecce ego celos nobos, et* terram nobam, dominice promissionis aduentus, non debet angere, sed mulcere. Nec nouitas sordere deueat sed placere. Numquid quia in primordio mundi, nobis et insuetus sol radiis rutilantibus coruscauit, displicuit; an potius mirabiliter placuit? Aut quia in benedictione potissime dicitur: timentibus me uocauitur nomen nobum; orrendum est, aut obtandum. Quanto est hec nobitas obtanda, que principaliter in diuinis promissionibus intimatur? Omnis pene scriptura testamenti utriusque ueteribus segregatis, noua canit, nouisque fructibus. Deus inquid, canticum nouum cantabo tibi. Et renobabit illam dominus, sicut lux matutina. Et cantate domino canticum nouum, et syon innouauit te dominus, et nouate uobis nobales, et induite nobum hominem et in nouitate

ambulemus. Sicut amplexandi tempore nequaquam uirginitas nuptiis inuideuat; ita et tempore quo disceditur ab amplexu; uirginitati predicare non deuent nuptie. Gemmarum enim diuersitas monilibus non prestat turpidinem, sed decorem. Denique diuersitate lignorum, diuinum constructum est templum. (*Al margen:* de sancta ciuitate). Et promiscuis lapidibus, superna cibitas hedificari monstratur. Nam omnis ecclesia gloria, secundum psalmographi ueritatem, de uarietate fulgit amictus. Non quia obtima uirginitas, ideo male sunt nuptie. Sed quia uirginitas obtima, ideo bona conjungia. Bono non prejudicat obtimus. Sed ymo expectat, ut crescat in melius. (*Al margen:* de talentis). Denique paterfamilias, tribus seruis inparem numerum dederat talentorum. De quibus per opera bona, pro mensura pecunie commoda sustineuat. (*Al margen:* de populo srhael). Nam et populus srhaelis uiam trium dierum repostulat ambulare; propter hoc (*al margen:* de spartum) et spartum non rumpitur triplex: dum uirginitas, uiduitas et nuptie in gradus sui concordiam coeuntes, in unitate fidei foederantur. Neque enim infirmitatem judicamus nuptias, sed uirtutem. Sed est uirtus; uirtute prrestantior. Nam fides, spes, karitas, unaqueque uirtus est. Et tamem apostolus; maximam omnibus judicat caritatem. Unde scriptum est: Ambulabunt de uirtute in uirtute. Et quum sint omnes uirtutes, tamen de uirtutibus transeunt, non ad uitia, sed ad uirtutem. Ergo dum de uirtutibus transeunt ad uirtutem; ostendunt uirtutem, ad quam transeunt majorem esse uirtutibus quas pretereunt. Plus enim letareris quod filia tua fruitur diuinis amplexibus, quam tristareris quod uolumtatem non fruitur talamorum. Filia tua, etsi nescit prolem carnalium liberorum; sed letatur habere se jam nunc participium angelorum. Si sterelitatem carnis doles, fecunditatem spiritus gaude. Si anxiaris quod non fulgeant colla illius ornamentis; letare quod anima morum opulentiis exornetur. Si tristaris quod corpus illius syriciis non induitur uestimentis; exulta quod singularitate angelica uestiatur. Si angeris quod seculo non fruatur tripudia, quod celestibus deliciis amonetur. Si scires quia super aurum et argentum est gratia bona, numquam te tederet filiam tuam in hoc propositum peruenisse. Exuere stola luctus,

et induere glorie uestimentis que christum generum meruisti.

An illa nullatenus monitis uenerandi pontificis delinita talibus dictis alloquitur sacerdotem. Nullatenus enim est genetrix, tam crudelis, que uelit partum sui uteri funestare, nec ipsa patitur matrem esse erga filios inclementem. (*Al margen:* conparatio abium). Uel auium doceamur exemplis; que nidos suos omni sollicitudine fobent. Si humanitatis consideratione caremus. Non odii erga filiam gero studium; sed studium seu amoris in benedictione diuina. Nolo mea pignora defraudari; quod dictum est: crescite et multiplicamini. Non enim detrimentum eam habere gestio; sed incrementum. (*Al margen:* de reuecca). Nam et reuecca dum proficiscitur ad maritum; benedictionibus ditatur insignibus. Quod si sponsi talamos ignoraret, nec benedictionis munera suscepisset. Si contra jura diuina, filiam inlicitum facere coegissem; ausum profanatus te decuerat non implere. Quum uero precipiente lege dominica, uolo eam benedictiones et premia possidere, quis erit uiolator legum; quis meorum uiscerum inimicus, qui hanc me utilitatem proibeat filie ne inpendam. Postremo ne omnes qui gaudent subole filiarum me inputent infelicem coram judice uoce publica quid in uotis habeat fateatur Porro per occultos nuntios uersuta genetrix, supradicte ciuitatis judici mandauerat: ut dum puella tribunalibus presentaretur; sibi eam raperet in uxorem.

Explicit liber secvndvs.

Incipit liber tertivs.

Ea tempestate amita uirginis quum occulte fraudis decipulam reperisset, adneptis auxilium sumptis tribus milibus rusticorum armatorum, qui tunc ad dicionem illius pertineuant. Post uero genuine atrocitatis preualente plurimum feritate, imperatoris debellati sunt jussu. Forum adiit terriuilem, ne ullum laqueum cateruis presentibus judex premonitus moliretur.

Verum sancta uirgo in judidium publicum arcessita; spectaculum mundo angelis et hominibus facta; his terrificis uerbis interrogatur a judice.

(*Al margen*: Vbi uirgo a judice interrogatur.) Cum et diuine leges, et publice subjectos filios jubeant esse parentibus: quo-

modo tu legum inmemor parentum monitis contumax inueniris? Qui enim juris transgreditur statuta; sentiat necesse est, legum censuram aut quam te putas religionis reuerentiam custodire; quam materno contemtu conmaculas; non bene domino famulatur; que nequaquam parentum uoluntatibus obsecundat. Religio nulla est; que deo spretis genitoribus exiuetur; quando nec domino sit acceptus quisquis fuerit in parentes superuus.

UIRGO DIXIT.

AD QUEM SACRATISSIMA SIC AFFATA EST UIRGO.

Quod me extimas penarum nomine deterreri plurimum falleris. Tolerabile namque est corporis mortem subire; quam uirginitatis dispendium sustinere. Sed preceptis roborata, quibus dictum est: Noli timere eos, qui occidunt corpus. Lucra mea, tua supplicia judicabo. Quia nicil felicius pena, per quam perpetuo triumphatur. Nouilissimi quippe judicis est decernere de diuinis offensis; obsecundari parentibus. Qui enim nefas judicas de humano contemtu officia domino celebrari; quantum sacrilegium esse existimas de humanis obsequiis, diuinitati injuriam procurari? Tamen qui de legibus proscribtionem obtendis; noberis legibus detineri, filias quos libuerit sponsos eligendi habeant facultatem? Nam reuecca quum ad eam filio desponsandam abraam famulum destinasset; non ante conceditur quam uoluntas ejus á parentibus quereretur. Et apostolus de unaqueque ayt. Cui uult, nubat. Ecce qui preuaricatricem ante paululum causaberis; legum transgressor ipse dinosceris. Quur mici adimis uoluntatem quam legum justitie concessere, quid juris scita corrumpis? Quur ueritatem confundis, justitiam destruis, judicium subuertis, nec ullius censure sententiam deterreris? Ue qui conmutant judicium in absintium. Liceat sponso frui, quem uolo. Liceat illum habere maritum, quem ipsa delegero. Uos ut presentarer his tribunalibus censuistis; quur in me tribunalium justitie non seruatur? Sedes, justitiam perdiderunt? Quur de justitia mecum confligitur? Qui legem pretendis; quare jura transgrederis? De preuaricatione causaris, cum preuaricator ipse manifestius adproberis. Uerissime tibi apostolicus abtabitur sermo: Qui dicis non furandum, furaris? Qui dicis non adulterandum, adul-

teraris? Qui abominaris idola, sacrilegium facis? Qui in lege gloriaris, per preuaricationem legis deum inhonoras?

JUDEX DIXIT.

CHRISTIANARUM TRADICTIONUM LEGE SANCITUR: Trade filiam tuam, et grande opus perficies, et homini sensato da illam, et melius nubere quam uri. Numquid usque adeo sacris uocibus obuiabis; ut legalibus nuptiis defrauderis?

UIRGO DIXIT.

UOTORUM MEORUM TE HABUISSE fautorem; quis aliquando credidisset? Si filia cujusliuet uiro tradenda est sapienti; quis erit sapientior christo, qui dei uirtus est, deique sapientia, quum eo talamos consecraui? Itaque gaudeant mecum parentes, tali me tradi conjungio. Gaudeant, non obsistant. Quod si usque nunc hec lateuat sententia; te judici doceantur. Quod uero scriptum dicis nubere melius esse quam uri; non omnibus, id est non sacris, uirginibus; sed nubere uolentibus, conicit uerbum istut. Quia unusquisque gradus suis legibus, alteri gradui non succenset. Quomodo lex mulieribus promulgata, masculos non constringat? Si uri uellem, tunc melius judicasses nubere. Sicut illi cui proponitur obtio: melius est seruum fieri, quam occidi. Ergo ille huic condicioni subcumbat, cui neccessitas inest. Porro cui nulla est necessitas seruiendi, sed in libertatem uocatus est nefas est enim libertate contemta, seruitutem uoluntarie profiteri. Si enim conuenit equitati promereri bonos famulos libertatem; quomodo decuit liberos in condicionem uobis conpellentibus deuenire? Si nomini christi censimini; deuetis ejus fauere elementie. Ille de seruis in filios adobtauit; uos quomodo de filiis famulos facietis? Hec tyrannidis est consulatum. (*Al margen:* de pharaone). Hic mos est pharaonis, non diuinus. Ille scilicet libertatem srhaeliticam subjugabat; ac filios eorum uirgines, in aquis libidinum dimergebat. (*Al margen:* de filia pharaonis). Pharaonis filia de istis aquis eruit hominem; et uos christiani, in undas submergitis uirginem? Jam stetit sanguis; jam rediit uirginitas. Jam noba progenies ex alto ueniens celo; aulam incoluit uirginalem. Jam fructus ejus sublimis in domino coruscauit, qui uirgo a matre uirgine natus uirginitatis apicem majestatis sue sublimauit indiciis. Jam

tempus est longe fieri ab amplexu. Jam ora est de somno surgere, et sic ut in die honestius ambulare. Jam dignum est; ut homines in angelis conmutentur, et clament in terris: nostra conuersatio in celis est. Et sicut ipse est; et nos sumus in hoc mundo. Jam nequaquam patimur cum bestiis benedici; sed angelis adequari. Jam impleta terra de nuptiis; superest ut celum de uirginibus impleatur; quorum patria factum est celum, non indigent in terris habere progeniem. Habeant semen in hoc seculo, quos delectat. Ego semen in syon habere dispono; unde beatitudinis dona capescam. *Esayas* testante: Beatus qui habet semen in syon. Quod scilicet in eternum mansurum est; nec mortis condicione tollendum. Jan uox illa de specula celesti continuata, totum mundum repleuit: (*Al margen:* de pace). Pacem meam do uobis; pacem meam relinquo uobis. In qua pace uirginitatis hedificande sunt urbes, circumducendi continentie muri, turris sanctimonie statuenda, de qua non periculosa (*al margen:* de uersabe) uersabe ad liuidinem uideatur; sed unde abimelec uoluptatis signifer occidatur. Deuemus enim induere celestis ymaginem; que jam terreni portauimus. Quur euangelicis uocibus contraitis? Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri. Qui non de sanguinibus; neque ex uolumtate carnis; sed ex deo nati sunt. Cum me debuistis ortari ex deo filios generare, ex uoluntate et sanguine prolem parare suadetis. Uellem scire si patientius fereuatis seruorum me nuptias, quam liberorum eligere. Que cum ista sint, quur hominem deo prefertis; que in nouitate ambulo, debeo ueteribus sequestratis; esse emula nouitatis? Si secundum carnem jam non nobi christum; dignum est, ut et adam jam nouerim secundum corporis uoluntatem. Seminent qui uolunt in carne: ego in spiritu. Mici secundum carnem non placet militare; militent quibus placet. Arma militie mee, non carnalia; sed potentia deo. Deuotio mea, nulli prescribet. Quas in nuptiis meis, nuptie totius mundi dependeant. Uerbi gratia et si ita esset; quis tribueret ut omnis populus uirginitatis floribus redoleret. Nolite putare quod aliorum nuptias uolo dissoluere. Nolite me existimare exortem esse conjungii. Est mici sponsus, qui non in terra presidet; sed in celo. Sunt mici filii, quos nescitis, qui

uagitibus non strepunt, amplexus meus non patitur noctem; fastidium nescit; defectus non nouit. Si cuidam feminarum aliquis dixisset: archiater ego te faciam sine fastidio, sine doloribus, sine cruciatibus generare, puto se ipsam ei famulam subjecisset; ut partum incruciabilem meruisset. Ego jam gratis habeo, gratisque possideo, quod illa mulier nequaquam supplicans inpetraret. Partus meus, nec de corruptione conquiritur; nec expectat longa tempora, quando fiat; sed quodtidie celebratur; quia quodtidie renobatur. Et quot mireris quanto integer permanet in tactu, tanto ex mina pullulat spiritualium filiorum. Quum omnium mortalium studia soleant facere de necessitatem uirtutem; que peruersitas, queue dementia uelle necessitatem fingere de uirtutem? Clamat de christo uirginitas: osculetur me osculo oris sui; et christi uobis oscula sorduerunt. Quis non cupiat ejus osculis dependere; quos non ambiat ejus amplexibus inerere? Forte deformis est, ipse est speciosus forma pre filiis hominum. Forte agenus est? et ideo me ab ejus contubernio proibiti. In ipso sunt omnes teshauri sapientie et scientie absconditi. Ipsi enim loquitur per prophetam: Meum est aurum; et meum est argentum. Forte ygnarus est? ipse docet omnem hominem scientiam. Forte malitiosus est; ipse est agnus dei. Forte superuus est; ipse dicit. Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Forte inuecillis est; ipse exultauit ut gigans ad currendam uiam. Si talem uirum quispiam mulieribus descripsisset, puto uiris propriis derelictis, consortium illius appetissent. Quod enim ille femine per inlicitum perfrui meruissent; ego jam fungor legitime. Quid mici tanti sponsi potentiam inuidetis? Dicam et ego cui oculos interioris hominis reserauit. Numquid et uos uultis ejus fieri sponse? Quod si placet me maledictis pluribus exprobare; addite maledictum.

JUDEX DIXIT.

QUOMODO DIUINARUM LEGUM gnara inmemor es apostolici dicti, nolite prudentes fieri aput uosmetipsos. Prophanisque excessibus temetipsam, a tantis patriarchis superponis? Numquid sapientior es patribus, qui et conjunges habuerunt, et maritis filias tradiderunt? Hoc quod tu disponis adgredi, annis puellaribus constituta;

nec tui habens notitiam, puto tam precipui uiri, adsequi studuissent, si istud propositum melius judicassent.

UIRGO DIXIT.

NUMQUID SAPIENTIOR ES DANIELE qui professor nostre fuerat discipline; quod sigillationem nostri patris adducis, quasi nobilitas personarum, condemnationem poterit uniuscujusque prestare proposito? Numquid aliquis poterit proximo, de suo prejudicare uocabulo? (*Al margen*: de abraam). Numquid abraam proscribere poterit ad ysaac, quia non sicut ipse de superuorum regum spoliis triumphauit? Aut ysaac poterat prejudicare jacob, quare non ordea serens, sicut centuplicia colligebat, quomodo nec ipse alii succenseuat? Quare non officium pastorali operam inpedebant? Quia unusquisque in sua uocatione perambulans: alterum uocationis alterius non condemnabat. Quamobrem; quia unus sic, alius sic, tamem noberis quod memorati patres fructum proprii temporis adtulerunt, et presens etas germina sui eui necesse est ut ostendat. Nec ficus prejudicat cedro; quia fructibus non turgescit; nec cedrus perjudicat ficui; quod et odore et sublimitate, et inputribilitate, et fortitudine, simili non ualescit. Nam yemps succenset estati: quare ipsa frigore torpeat, et illa frigoribus excandescat. Qui memoras patres; quare taces illius seculi qualitatem? Quod autem illo tempore uirginitatis professio necduni passim exuberans habundabat; paucis si aduerteris intimabo. Quamuis sit quidam inclitus et preclarus; numquid potest jemis tempore maturam segetem sibimet exibere? Quum autem estas aduenerit; quod ille nobilis jheme habere non potuit, ceptant pauperes habundare. Unde diceuat dominus per prophetam: Exurge ueni proxima mea; speciosa mea; columba mea. Quoniam ecce jhem transiit, estas aduenit, flores uisi sunt in terra. Jam non flos, sed flores. Quum enim christus de uirgine nascereretur, ayt: Ego flos campi. Quum uero de illo flore quamplurimi pullularunt dicitur flores uisi sunt in terra. Si ager uester fructum centesimum rependeret; nonne aput uos pretiosior erit, quam ille qui tricennum redderet? Ecce terra corporis mei, illo seminante, de quo dicitur: Qui seminat filius hominis est, centene fecunditatis erumpit in fructu. Quid molesti estis terre mee uber-

tatis tante copiam preferenti? Terram meam non homo serit sed deus. Uirgine etenim seminante uirginitas; necesse et pullulare Jam nequaquam terre uim infligitis adserenti. Illi placuit humum meum tali seminare semente, de quo dicitur: Spiritus ubi uult spirat. Uos qui estis uetare deum; ne me uirginitatis ditaret insignibus. Suasio uestra, non ex eo est; qui uocauit uos: Uos caro estis, et desideria carnis uultis implere. Nonne portauitis judicium, qui uirginem conturbatis? Ego autem si uirginitatem profiteor; quid adhuc persecutionem patior? Utinam et abscindamini, qui turbatis innuptam. Ego autem in libertate uocata sum. Tantum ne libertate continentie in ocasionem deputem nuptiarum. Si uestro colono nequaquam monstraretis ubi, quid, quod tempore seminaret; quomodo repreenditis illum agricolam, de quo dicitur: Pater meus agricola est? Si in gleba corporis uoluit ponere uirginitatis plantaria; laborem incassum inpenditis resistendo? Nam omnipotentis agricole potestatem nullus poterit proibere. O homines uos qui estis, qui domino resistatis? Quid uas meum, libidini queritis mancipare? Uas uestrum aquas portat, que super terram sunt, que magis ardorem conferunt. Uas meum aquam gerit celestem, que sitim extinguit; quid ignis queritis augmentare? Sufficit corpori malitia sua; tantum ne dormiatis: ut tantorum clamorem non audiatis. Qui conclamant per profetam: Propter timorem tuum domine, concepimus in utero, et parturibimus spiritum salutis tue fecimus super terram. Felix partus quo et uiri, et femine, et senes, et infantuli fecundantur; quia non tam per coitum, quam per abstinentia propagantur, eo quod non sit humanum studium, sed diuinum. Quid facitis turbantes cor meum? Ego autem non solum uirginitatem nouere; sed mori parata sum propter ipsam. Si multi hominum pro possessione nobili facile moriuntur; pro possessione dei, que est uirginitas, exitum refutabo? Discedite a me; non noui uos operarii carnis. Mici nubere christus est, et integritas lucrum. Quid me uultis terram illam possidere, ubi jactato semine aque ducuntur inrigue, id est, cupido uoluptuosima coitum comitantur? Que jam terram obtinui montuosam rorem de celestibus expectantem. Quam dominus deus noster semper inuisit. Quid me illius humi facere uultis

extorrem, ubi non nubentur, sed semper permanent inmortales? Si uobis aliquis retulisset esse terram ubi cum non seratur, eterna fertilitas congregatur: Nonne nequaquam satiaremini audiendo? Nonne magno studio certaretis, istius terre inspicere qualitatem. Si forte possetis, in uestra possesione morem humi illius exercere? Ecce illa terra, id est uirginitas, que dum non seritur, centene ubertatis surgit in fructum. Et quod propter christum derelinquentibus mundum, promittitur in futurum, jam possidet atque tenet. Ut abominabilem refutatu; si meum culpatis prepositum. Culpatis apostolum dicentem: Estote imitatores dei. Imitata christum, ejusque matrem, quantum humane fas est fragilitati, quur insolentiam patior? Si filii uestri uiros imitarentur egregios: puto quod ab omnibus judicarentur laudauiles. Que christum uirginem imitatur, quur inuidi condemnatis? Forte ideo me uiro queritis sociare, ne absque filiis doleatis: si sciretis quia multe filie deserte magis quam ejus que habet uirum; numquam castimoniam odiretis. Scitis quia sacerdos est christus secundum ordinem melcisethec. Scitote quia sacerdotem, uirginem oportet accipere. Hujus ergo sponsa, hujus matrona sum. Inueni quem dilexit anima mea: concupiui justum dei. Iniabi inclitum patris. Mici huic bonum est aderere. Cantabo et psallam. Adtrae me post te; quia adglutinata est anima mea post te. Sponsus spiritus tu mici es. Dicam ut dilectissimam conjux. Neque mors. Neque uita. Neque angeli. Neque principatus. Neque presentia. Neque futura. Neque uirtus. Neque altitudo. Neque profundum. Neque creatura aliqua poterit me a karitate dei separare, que est in christo jhesu domino nostro. Hoc est enim habere conjungium, quod mors non separat; se adūnat. Quod exitus non dirimit; sed conjungit. Aut si mors societatem tribuit; quid jam uitam prestauit. Si seffora, quum dīceret sponsus sanguinum tu mici es morte maritum exemit; quanto magis cum dixero sponsus anime tu mici es; sponsi uirtute salbabor. Quare fremitis, et inania meditamini? Odistis quod nescitis; nos amamus quod scimus. Si sciretis donum dei; et quis est qui dedit mici uirginitatem bibere: Forsitan uos petissetis hab eo et dedisset uobis continentie aquam, quam cui christus dederit, ultra non sitiet uoluptatem. Si cuidam uirgini

aliquis diceret imperator sponsabo te mici in sempiternum; et sponsabo te mici in justitia; ac si jam acciperet arrahonem, nonne refutatis omnibus, contemptisque parentibus uerecundie inmemor illius conjungium appetisset? Si illa humanis uocibus conuocata; cunctis reluctantibus non tardaret? Ego audio imperatore christo dicente: Audi filia et uide, et inclina aurem tuam et obliuiscere populum tuum, et domum patris tui, quia concupiuit rex speciem tuam. Quomodo uobis proibentibus, inpedibor? Immo parentes illam uirginem ultro coegerent, ne tardaret. Uos quare me uetatis a christi complexibus? Sinite me promissionis terram intrare. Quare contra dominum rebellatis? Ac si dicatis, dura est uirginitas; quis eam potest sufferre? Nam stirpe enac, uidimus ibi; jhesu comite aut hanc terram gloriosissimam introibo, aut si constantem placuerit, lapidare pretiosa erit, mors talis in conspectu illius, qui gaudet de sanguine filiorum. Numquid parum est; uos molesti esse hominibus; quia molesti estis et deo meo, a quo queritis ejus conjungem separare? Si quispiam alacrissimo uiro auellere niteretur uxorem, ut eam alteri sociaret; nullatenus interitum euasisset. Uos eritis inpunes, quia filio dei ejus conjugem deuellentes homini queritis applicare? Si hominis dimissam uxorem mecatur. Si quis acceperit? Si quis sumpserit sponsam domini non dimissam; cui criminis subjaceuit? Justitia judicum, uel parentum religio, qua ratione me adulterium facere patiuntur?

JUDEX DIXIT.

TUI SENSUS YNABIA BLASFEMIA ac mandacio plena; et scripturarum uiolat jura; et in nostram consurgit injuriam.

UIRGO DIXIT.

DUM SENSUS MEI DISSERUERO rationem; nec mendacem probatis, nec blasfemiam. Apostolus dicit: Mulier sub uiro uibo marito, uincta est legi. Si autem mortuus fuerit uir ejus; liberata est a lege, ut non sit adultera si fuerit cum alio uiro. Si enim adultera erit mulier, que uibente marito alteri copulatur; quid uocabitur illa, que regnante christo homini sociatur? Sed qui adulterium persuadet occulte; condemnantis examine punitur. Uos ipse quid patiemini; qui sacrilegium publice suadetis, quod jam facinus erit aput uos inlicitum, qui in christi conubium diuortium fieri doce-

tis? Pudeat obsecro, judicariam sedem tanto crimine maculari. Non ita didicitis christum dicentem, noli querere fieri judex, nisi potes uirtutes disrumpere iniquitates. Si beati qui expectant dominum; quanto magis qui ejus patiuntur amplexibus? Quid me uultis subdere seruituti? Illius ego matrona sum, quem uos postrati et supplices adoratis. Non solum uos, sed omnes principes atque reges. Quem uos aspicere concupiscitis eminus; hujus ergo fruor contubernio facultatem. Si essem temporibus paganorum, et uellem dee uestre seruire; nullus auderet meum propositum inpedire: ne ut putauat diuino flumine deperiret. Torum domini concupisco; et uos resistitis inpudenter, nec ejus supplicia formidatis. Qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in geennam? Illorum inmemores qui dum alios deterrebant, ne terram repromissionis intrarent, interfectionis diuine sensere uindictam; qui nobis exempla terribilia prebuerunt in quo fines seculorum obuenit, quia ad nostram correptionem conscripta sunt illa, que tunc figuraliter gerebantur.

JUDEX DIXIT.

NON INMERITO DE TEMETIPSAM uaticinatus est salomon: Qui sibi inuidet, nicil est illo nequius. Que salutem tuam spernis; cui es alii consultura? Nonne scriptum est. Non saluam fieri mulierem, nisi per progeniem filiorum? Aut age quod scriptum est; aut sacrarum legum probaberis uiolatrix. Noli putare nos usque adeo imperitos, qui ygnoremus quid tuis utilitatibus cupiamus; nolumus te pribari salute, secundum testimonium apostoli supradictum.

UIRGO DIXIT.

UERE QUIA ANIMALIS HOMO non percipit, que sunt spiritus dei: nec caro et sanguis regnum dei hereditabunt. Si regnum dei scripture diuine sunt quomodo tu, cum sis caro, poteris ejus misteria conspicari? Proponis de apostolo, quod aliter salus nequeat adpreendi, nisi per progeniem liberorum? Si ita est quomodo e contrario, racel et nurus heli, in filiorum partibus moriuntur? Restat itaque, ut quanto quisque fuerit lascibior, et petulantior, tanto salutis cumulum mereatur. Ergo quia uterque sexus generat prolem ipse paulus qui hoc preceperat salutem caruerat, quia filios non habebat. Ergo omnes uirgines nobi ac ueteri testamen-

ti, exclusi sunt a salute, quia nequaquam subolem genuerunt. Et quomodo legimus quia agnum nulli alii; nisi uirgines comitantur? Quomodo helias raptus est uibus in celum quemammodum paulus choronam justitie sibi repositam testabatur? Ubi est intellectus tuus qui meam impudicitiam ad interitum requirebat, quia de sapientia carnis uenerat, merito absortus est, in uirginitate uictoria. Uellem tibi cellam aromatum hostensare, si legatus babilonius non fuisses. Tamen sicut dignum est, nequaquam tibi regis misteria reuelare. Ita condecet carnis sapientia expugnata; ea que sunt nostre partis adstruere. Quum dixisset enim apostolus salua erit mulier per generationem filiorum, superius eue fecerat mentionem. Ayt enim: Adam non est seductus. Mulier autem seducta est in preuaricatione; salua autem erit per filiorum generationem. Quomodo hoc stabit ad litteram; cum noueris euam in maledicto audisse. Multiplicans multiplicabo erumnas tuas; et in dolore paries filios. Neque enim inpietas cain, salutem potuit conferre parentibus. Sed ut intellegas quos filios apostolus signare uoluerit. Ayt enim: Salua erit per filiorum generationem, si permanserit in fide et dilectione, et sanctitate, cum sobrietate. Mulierem animam signifari frequentius scripture testantur. Quum enim omnis fructus in fide, et dilectione permanserint; salutem anime profligabunt.

Prestante domino nostro jhesu christo, qui uibit cum deo patre et regnat cum spiritu sancto in secula seculorum AMEN.

San Lorenzo del Escorial, 8 de Noviembre de 1908.

GUILLERMO ANTOLÍN O. S. A.
Correspondiente.

(Se continuará).